



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

64. Lucubrat. Xau.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

Exculto his studiis oppido, pergebat ad aliud; pedes semper, plerumque nudipes; nec si quando perpeffionibus, vel immodica fatigatione agrotallet, aliam volebat medicinam præter libri alicuius pij lectionem.]

Huc usque Ariaga, fuit alia eius solertia, ut quò voce nequibat, stylo pertingeret; ubi per se, absens concionari non poterat, id per alios præstaret. Eam in rem multas elucubrauit Institutiones Christianæ fidei, ac vitæ; breuius, fufius, pro conditione vel nouitiorum vel prouectiorum, sua quamque regionis erudiendæ lingua, easque magistris quos sibi substituisset in cura populi tradidit: eæ per hebdomadam sæpius, tamdiu publicè legebantur, dum iterandi crebritate, hærent audientibus, tenerentque illarum nunquam obliterandam memoriam: in iis pueri discabant legere, quibus ad hoc ipsum, opusculum edidit lingua Indorum maxime vulgari. Earum aliqua institutionum præsertim vna copiosius diffusa, complectebatur decem capitibus, ab Adami lapsu, ad Apostolorum prædicationem, quæ essent memoratu dignissima, interiectis ad mores egregiis documentis, hanc ut Indis illis agrestibus veniret gratior, & facilius disceretur, rithmis condiderat poëticis, quo factum ut ab iis deinceps cum voluptate cantaretur. Experimento enim compererat ad erudiendam plebem quantum interesset, Sacras preces, & fidei arcana in cantus simplices redigi, sic ab neophytis cantiones abstulit quibus ante Baptismum assuerant, factumque sensim, ut totus Malabaris, & Piscariæ tractus maritimus, & syluæ Molucenses (quod ipsi qui audierant testantur) nocturnis diurnisque cantibus barbarorum sonarent, virorum, mulierum, puerorum, domi foris, in agris, in nauibus, in piscatione, *Pater, Ave, Credo, Decalogum, mysteria fidei* alacritate mira canentium, non sine pudore salutarum Christianorum veterum ex Europa, quæ *S. Pater* suo quibusque neophytis idiomate, rithmis idoneis dictarat, atque has indiscriminatim vniuersorum bono Xauerij caritas, artes adhibuit.

Perculiares sunt alia magisque insignes, quarum primaria hæc fuit, ut præcipuos conatus verteret, ad subiiciendos Regi regum ethnicos principes, tum quod esset Christo gloriosum vertices coronatos, & mundi Dominos, vltro eius pedibus aduolui; tum quod in regibus regna illorum integra; in dynastis totas crucis imperio, illorum prouincias manciparet. Qua excelitate capacis animi vir sanctus, Maurum Tranancoris; ethnicos duos Zeilani reges; Piscariæ Sarrapas; Saxumæ, Amanguccij, & Bungi reges aggressus est, & Euangelij machinis valide impugnavit; tentauit & Voum, magnum illum Meaci principem quamuis autem extra spem fermè esset, belluinam illam principum tum Maurorum tum ethnicorum licentiam, circumscribere lineis Christiani pudoris, cum domi centum, foris quot immanis libido suafisset, vxores alerent, haud tamen commisit diuina bonitas, serui sui, contentiones aduersus hanc pestem exire cassas atque inutiles, duas enim principis sorores, & Cacilis Arij Moluci Regis duos ex fratre filiolos, baptizauit; & cordatam illam sapientemque Mauram Neachilen, Regum Tidorensis filiam, vxorem

64

Lucubrat.
Xau.

65

Reges Xau.
ad Christum
conuer.

T t

vxorem